

ex sepulcro suo prodierit? At ea ratione omnes homines seipfos suscitare dici possent, qui scilicet virtute omnipotentiae diuinae vitae restituantur, atque sic diuinitus accepta potentia ex sepulcris suis sint prodituri. Quale quid certe adstructa ex ea virtute Christo *singularis autoritas* intelligi non patitur. Praeterea excitare mortuum idem est, quod ζωοποιεῖν. At, quae in illa, quam sibi Socinistae fingunt, Christi sui ipsius resurrectione ζωοποίησις est? quae nihil aliud, quam corporis ζωοποίηθέντος motum ipsi relinquat. Sed & praeterea Christus diserte dicitur animam suam h. e. vitam πάλιν λαμβάνειν *ipso recipere*, & quidem ex potestate atque ἐξουσία sibi iam competente, qua scilicet, quos *velit*, resuscitet, & quidem perinde ac Pater. Quae certe subordinationem ἐξουσίας, atque inferioritatem & concessionem tantum ex gratia factam omnino excludunt. Nempe τὸ ὡσπερ ὁ πατήρ ἐγείρει, τῆς δυνάμεως δείκνυσι τὴν ἀπαρραλλάξιαν, *verba*: quemadmodum Pater resuscitat, *In Ioh. 38.* potentiae ostendunt aequalitatem, vt bene Chrysostomo est obseruatum.

§. VII. Nescio, an istiusmodi hominibus accensendus sit Autor Constitutionum Apostolicarum, ita de Christo locutus: ἐαυτὸν τῷ προσάγματι τῆ πατρὸς διὰ τριῶν ἡμερῶν ἀνεγείρας, *restituens seipsum sequenti triduo Patris mandato*. Equidem deprehenduntur in illo opere haut pauca, quae in Christi diuinitatem iniuria esse videri queant. Si προσάγμα tamen, siue *decretum*, interpretis simpliciter, quem sensum vox admittere potest, siue *ordinationem*, non male id iuxta paulo post dicenda poterit explicari.

§. VIII. Filio nempe cum Patre suscitatio sui ipsius